ſ.c.iiij. Sepe ad incoꝛpoꝛeā creatoꝛis
rē. Ibi videas obſecro. Quot in mun-
do fuerūt hoīes ſunt ⁊ erūt? Quot ip-
ſoꝝ gaudia? Quot leticie? Quot exul-
tationes? Quot felicitates? de diuitijs
de delitijs: de choꝛeis: de odoꝛibus: de
coloꝛibꝰ: de ſapoꝛibꝰ: de honoꝛibus: de
ceteris ꝓpter que humani noſtri ſen-
ſus delectari ſolēt ⁊ aīa? Oīa ſimul col
lige: ⁊ cū ſimul ea colligeris: inuenies
nihil eē reſpectu gaudij qᵒ habēt bea-
ti de viſione diuina. O lumen incōpre
henſibile. O ſumma maieſtas dei: qñō
potero te in hoc mūdo aliqualiter ſen
tire? O aīe xpiane vultis aliq̇d videre
de imagine creatoꝛis? Audite q̇d aſſe-
rit Auguſtinꝰ libro ſoliloquioꝝ. q̇ deuꝫ
multis modis q̄ſiuit. Ait eñi ſic: Circū
iui vicos ⁊ plateas ciuitatis huiꝰ mū-
di querēs te: ⁊ nō inueni: q: male que-
rebā foris qᵒ erat intus. Miſi nūcios
meos oēs. ſ. ſenſus exterioꝛes: vt que-
rerēt te: ⁊ nō inueni: q̇ male querebaꝫ.
Uideo eñi lux mea deꝰ: qui illuminaſti
me. Quia male ꝑ eos querebā: q: tu es
interius: ⁊ tñ ipſi vnde intraueris ne-
ſcierūt. Nā oculi mei dicūt: Si nō fuit
coloꝛatū: per nos non intrauit. Aures
dicūt: Si ſonitū nō fecit: per nos non
trāſiuit. Naſus dicit: Si nō oluit: per
me nō venit. Dicit guſtus: Si nō ſapu
it: ꝑ me nō intrauit. Tactus etiā addit
Si coꝛpulētus non eſt: nihil de hac re
me interroges. Nō iſta in te ſunt deus
meꝰ. Nō eñi coꝛpoꝛis ſpeciē: nō decꝰ tē
poꝛis: nō cādoꝛem lucis vel coloꝛē: nō
dulciū melodiarū cātus: ⁊ quecūq; dul
ce ſonātia: nō floꝝ ⁊ vnguētoꝝ vel aro
matum odoꝛes: nō mella vel māna gu
ſtui delectabilia: nō cetera q̄ ad tangē
dū vel amplexādū amabilia: nec oīa
alia ſenſibus his ſubiecta quero cum
deū meuꝫ quero. Abſit vt iſta credide-
rim deū meū eſſe: que etiā brutaliū ſen
ſibus cōpꝛehenduntˀ. Et tñ cū deū me-
um quero: quero nihilominus quādā
lucē ſuper omnē lucē quā nō capit ocu
lus: quandā vocē ſuper oēm vocē quā
non capit auris: quendā odoꝛē ſuper
oēm odoꝛē quē non capit naris: quen
dā dulcoꝛē ſuper oēm dulcoꝛē quē nō
ſapit guſtus: quēdā amplexuꝫ ſuꝑ om
nē amplexū quē tactus nō tāgit. Et in
terioꝛis quidē hoīs iſta lux fulget vbi
locus nō capit: iſta vox ſonat vbi tpˢ
nō capit: odoꝛ iſte redolet vbi flatꝰ nō
ſpargit: ſapoꝛ iſte ſapit vbi nō eſt edaci
tas: amplexus iſti tangitˀ vbi nō diuel-
litur. Hic eſt deꝰ meus: ⁊ nō eſtimabitˀ
alius ad illuꝫ. Et. j. Circuībā oīa que-
rēs te ꝓpter te: ⁊ propter eīa derelin-
quens me. Interrogaui terram ſi eſſet
deus meꝰ. Et dixit mihi: Nō. Et omnia
quē in ea ſunt: hoc idē cōfeſſa ſunt. In
terrogaui mare ⁊ abyſſos: ⁊ reptilia q̄
in eis ſunt. Et rñderunt. Nō ſumus de
us tuus. Quere ſupꝛa nos. Interroga
ui flabilē aerē ⁊ inq̇t: Fallitur laboꝛ tu
us nō ſum ego deus tuꝰ. Interrogaui
celū lunā ⁊ ſtellas. Nec nos ſumus de
us tuus inquiūt. Et dixi oībus his qui
circūſtant foꝛes carnis mee. Dicitis mi
hi ꝙ vos nō eſtis deus meꝰ. Dicite mi
hi aliq̇d de illo. Et exclamauerūt oēs
voce grandi. Ipſe fecit nos. Interro-
gaui pꝛoinde mūdi molē: dic inquam
mihi ſi deus meꝰ es: an non? Et rñdit
voce foꝛti. Nō ſum inquit ego: ſed per
ipſum ſum ego. Quē queris in me ipſe
fecit me. Supꝛa me quere q̇ regitˀ me q̇
regit ⁊ te. hec ille. O magna igitˀ dulce
do mentis: qñ tot Aug. cōſiderabat.
Nēpe magnus ei videbatˀ dñs ⁊ lauda
bilis nimis. Ideo Eſa. xxxiij. dr: Regē
in decoꝛe ſuo videbūt Eccl'a. xj. Dulce
lumen ⁊ delectabile eſt oculis videre
ſolē. Et tātū eſt leticia in viſione grati
oſe eſſentie diuine: ꝙ potius ſancti dei
vellent in inferno eſſe ⁊ deū videre: ꝙ̄
in paradiſo ⁊ deū non videre: ⁊ potius
in penis eſſe ⁊ deū videre: ꝙ̄ extra pe-
nas ⁊ deum non videre. Chryſo. quoq;
ait: Ego dico: multo grauioꝛ eſt ꝙ̄ ge-
henna cruciatus remoueri ⁊ abijci ab
illa gloꝛia. Nec puto ita acerba eſſe ge

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bonne incēdia vt ſunt illa q̄b⁹ torquē-
tur hi q̄ arcent a cōſpectu dei. Et Bern̄.
Reuera illud eſt ſummū ꝛ verū gaudi-
um quod nō de creatura: ſed de creato
re cōcipitur: quod cū poſſideris: nemo
tollet a te: cui cōparata oīs aliunde io
cunditas meror eſt: oīs ſuauitas do-
lor eſt: omne dulce amarum: omne pul-
chrū fetidū: oīe poſtremo qđ delecta-
re poſſit moleſtū: cū dei bonitas in in-
finitū excedat omnē bonitatē creatā.
Delectatio que erit in perceptione im
mediate illius bonitatis in infinitum
melior erit omni perceptiōe create bo-
nitatis. Joh. xvii. Hec eſt vita eterna
vt cognoſcāt te ſolū deū verū ꝛ quem
miſiſti ieſum xp̄m Aug. ſupra. ij. Cor.
iij. Ibi beata vita in fonte viuo bibit
vnde aliq̄d ſpargit huic humane vite.
Jō propheta Dauid dicit ps. xlj. Quē
admodum deſiderat ceruus ad fontes
aquarū ꝛc. Oēs delitie q̄ ſunt in toto
mūdo velut minime gutte ſunt aque:
que fluxerūt ab illo ſacro fonte trinita
tis. Vhe ergo inimicis dei q̄ dimittūt
infinitā dulcedinē ꝛ bonitatē pro mini
ma ſcintilla que vertet in amaritudinē
Hier. ij. Dereliquerunt me fontē aque
viue ꝛc. ¶ Tertiū cōſiderandū de viſio
ne dei ē iocūditas. Erit vnicuiq; vidē
ti deū tanta iocūditas ꝛ plena leticia:
vt in illa omne hoīs deſideriū quieſcat
nihilq; amplius appetat. Ratio ē ſm
Rich. in. iiij. di. xlix. q: vnuſquiſq; na-
turaliter appetit ſuā perfectionē. Se-
cundaria vō humani intellectus perfe
ctio cōſiſtit in pfectione ſui act⁹ qui eſt
intelligere. Nūq; aūt actus intelligen
di eſt pfect⁹ niſi ſit reſpectu nobiliſſimi
intelligibilis ꝛ nobiliſſimo mō intelli
gendi. Nobiliſſimū intelligibile eſt de
us: nobiliſſim⁹ modus intelligēdi eſt
intelligere ip̄m in ſui ſubſtātia. Ex quo
tā amabilis tāq; gratiſſima ē viſio illa
ꝙ ſi q̄s proponeret alicui beato vellet
ne per milia milium annoꝝ eſſe in hoc
mundo abſq; hoc ꝙ videret deū: habe
ret q; oēs diuitias: oēs theſauros: oēs
pecunias: omnes p̄cioſos lapides: om
nia iocalia: omnia regna mundi: om-
nia delicata cibaria: omnē viroꝝ clariſ
ſimoꝝ famā ꝛ gloriā: ac deſiderabilia
queq; q̄ in hoc ſeculo poſſunt eſſe ſta-
tim clamaret. Diſcede a me ꝛ ſine me
eſſe in delitijs viſiōis dei: q̄ ſola incom
parabiliter excedit quelibet tēporalia
dona: q̄libet tpalia gaudia: quamlibet
phoꝝ ſciam: quālibet regū ꝛ imperato
rū preeminētiā. Hinc Aug. li. iij. de li
bero arbitrio. ait: Tāta eſt illa pulchri
tudo iuſticie ꝛ icōmutabilis lucis eter
ne: ꝙ ſi non liceret in ea morari plus
q̄ȝ vnius diei hora: ꝓpter hoc ſoluz in
numerabiles anni huiusvite pleni et
cūfluētia bonoꝝ tpaliū recte meritoq;
contemnerētur. Et libro. x. de ciui. dei.
c. xv. inquit: Illa nāq; beata viſio dei
tante pulchritudinis viſio eſt ꝛ tanto
amore digniſſima: vt ſine hac quibuſ-
libet alijs bonis preditum ꝛ abundan
tem non dubitem protinus infeliciſſi-
muz dicere. Et apoſtolus. j. ad Cor. ij.
Oculus nō vidit nec auris audiuit nec
in cor hominis aſcendit que prepara-
uit deus his qui diligunt eū. Videbi-
mus etiam deū incarnatuz: quod quā-
te iocūditatis ſit: dicit Bern̄. Plenum
prorſus omnis ſuauitatis videre homi
nem hoīs conditorē. Profecto nimia
leticia erit videre xp̄m tā ꝙ glorioſum
deum ire per paradiſum. Vn̄ Scotus
in. iiij. di. xlix. dicit ꝙ xp̄s poteſt ſe mo
uere realiter vere ꝛ ſicut rex in celo em
pyreo. Videmus quoq; ipſum noſtrū
finē. Videbim⁹ ip̄m factorē: creatorē
ſicut vn⁹ ex nobis: ꝛ humanā naturaz
exaltatam ſuper angelos. Et hec erit
prima dos anime. ¶ De ſecunda dote
que eſt fruitiōis inquit Rich. in quar-
to vbi. ſ. ꝙ dos fruitionis eſt perfect⁹
charitatis habitus quo anime fruitur
deo. ¶ De tertia dote que eſt tentionis
inquit Rich. vbi. ſ. Dos tentionis eſt
habit⁹ pfectus quo voluntas eſt per-
fecte ſecura de tētionis p̄dicte ppetua
tione. Quid plura? Surſuz corda leua

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſmus de tenebꝛe vite huius: ⁊ dulcedinē
paradiſi ꝑ ꝯtēplationē deguſtemus: qꝛ
nihil arbitroꝛ dulcius ꝙ̄ tali cogitatio
ne occupari. Exemplū fratris Egidij.
Exēplū fratris Bernardi de q̄ntavalle.
Cū aūt experiemur ea admirabimur et
letabimur ſcientes multo vberiorē eſſe
felicitate ipſam ſctōꝝ ꝙ̄ rumoꝛ q̄ inſo-
nat nr̄is auribus in hac vita. Sicut fa-
ctū legimus de regina ſaba q̄ venit a fi
nibꝰ terre ad Salomonē audita fama
ipſiꝰ: vt dꝛ. iij. Reg. x. Hec cū ꝯſideraſſet
ſapiētiā Salomonis: vidiſſetqꝫ domuꝫ
quā edificauerat: ⁊ cibos mēſe eius: et
habitacula ſeruoꝝ: ⁊ ordinē miniſtran
tiū: veſteſqꝫ eoꝝ ⁊ pincernas: ⁊ holocau
ſta que offerebat in domo dn̄i: nō habe
bat vltra ſpm̄: dixitqꝫ ad regeꝫ. Verus
eſt ſermo queꝫ audiui in terra mea ſuꝑ
ſermonibꝰ tuis ⁊ ſuꝑ ſapiētia tua: ⁊ nō
credebā narrātibus mihi donec ipſa ve
ni ⁊ vidi oculis meis: ⁊ ꝓbaui ꝙ media
pars mihi nūciata nō fuerit. Maioꝛ eſt
ſapientia tua ⁊ opa tua: ꝙ̄ rumoꝛ queꝫ
audiui. Bt̄i viri tui ⁊ bt̄i ſerui tui hi q̄
ſtāt corā te ſemꝑ ⁊ audiūt ſapiam tuā.
O igit̄ ꝑclarū illū diē cū aīa nr̄a ad vi-
ſionē illā diuinā attinget. Cōperiet ꝓ-
fecto tātā eſſe viſionis delectationeꝫ ꝙ
merito dicere poterit. O deus dulciſſi-
me: bt̄i q̄ te q̄rūt: bt̄i q̄ te habēt: bt̄i qui
te vidēt: bt̄i q̄ habitāt in domo tua: bea
ti deniqꝫ qui mundo ſpꝛeto te verum ⁊
ſummum bonum deſiderant.

¶ De origine dotium corpoꝝ btōꝝ: ⁊ de
numero atqꝫ ꝯditione illarū. Cap. ij.

SEcundo oſtēdimus ꝙ̄ ſit co
pioſum ⁊ immēſuꝫ gaudiū
btōꝝ ꝓpter corporis dota-
tionē: de q̄bus dotibus tria
conſideremus.

Primo originationē.
Scd̄o diſtinctionē.
Tertio cōditionē.

¶ Primo ꝯſideremus originationē. vn̄
ſcꝫ erit origo dotiū in corporibus btōꝝ.
Ad qd̄ ita dicit Rich. in. iiij. di. xlix. Do
tiū origo erit a deo ꝑ creationē vt q̄daꝫ
nō improbabiliter dicūt. Vn̄ ꝓ tāto di-
ꝙ dotes erūt in corpore a btītudine aīe
ꝑ quādā redūdantiā: qꝛ deus illas crea
bit in corporibus btōꝝ ꝓpter meritū
aīarū: qꝛ in via ⁊ ſibi ⁊ corporibus ſuis
gl̄iam meruerūt. Vel pōt dici ꝓbabili-
ter ꝙ origo illaꝝ dotiū erit a deo nō tn̄
ꝑ creationē: ſed mediāte btītudine aīe:
qꝛ ſicut dicit Aug. in epl̄a ad Diol. Tā
potētem fecit deus aīam: vt ex eius ple
niſſima btītudine q̄ in fine tēpoꝝ ſctis
ꝓmittit̄ redūdet in inferiorē naturā q̄
eſt corpus nō btītudo q̄ fruētis ⁊ intel
ligētis eſt ꝓpria: ſed plenitudo ſanita-
tis ⁊ incorruptionis vigoꝛ. Dn̄s autem
Boñ. in ſuo. iiij. di. xlix. ita poſuit: ꝙ eſt
loq̄ de dotibus corporis: in q̄bus eius
gl̄ificatio ꝯſiſtit: vel quātum ad diſpoſi
tionē: vel quantū ad cōſummationem.
Si quātū ad diſpoſitionē ſic dicunt̄ di
ſpoſitiōes q̄ ſunt qualitates abſolute
ipſius corꝑis q̄ ſibi dant̄ a deo i eius re
formatione. Si quātū ad ꝯſummatio-
nē: ſic dico ꝙ ſunt a gl̄ia aīe ſiue ab aīa
gl̄ioſa. Vn̄ ſicut in pn̄ti aīa in corpus in
fluit: ⁊ ꝑ illā influētiā corpus eſt colora
tius: durabilius: virtuoſius ⁊ agilius
ꝙ̄ cū aīa ſeparat̄. Silr̄ dico in ꝓpoſito
ſuo mō ꝙ aīa gl̄ioſa influēs in ſuū cor-
pus oēs dotes iſtas ad quas diſpoſitio
nē habebat ꝑ ſui reformationē ꝑficit et
cōſummat. ¶ Scd̄o ꝯſideremus de do-
tibus btōꝝ corpoꝝ diſtinctionē. Diſtin
guunt̄ eīm a ſctis quattuoꝛ dotes ipſuꝫ
corpus gl̄ioſuꝫ ꝑficiētes: videlꝫ impaſſi
bilitas: claritas: ſubtilitas: ⁊ agilitas.
Rō aūt huius numeri ⁊ ſufficiētie aſſi
gnat̄ a Boñ. qꝛ corpus noſtrū eſt cōpoſi
tū ex quattuoꝛ elemētis: ⁊ qꝛ elementa
ſunt impfecta: quadruplicem habet ab
eis defectibilitatē. Ab aqua que eſt ele
mentū humidū ⁊ paſſibile: hꝫ paſſibili-
tatem ⁊ corruptioneꝫ: vnde humidum
aqueū corpus corrumpit. A terra q̄ eſt
elementū opacū habet obſcuritatē. Ab
igne aīalitatē: qꝛ calor cōſumit̄ cōtinue
ideo continue indiget ciboꝝ alimonia.
Ab aere habet infirmitatē. Aer eīm fac

immutatur ⁊ cedit cuilibet impellēti. Cū̄ ergo quattuor iſti defectus debēt per bona oppoſita remoueri: ad hoc ꝙ corpus ſit pfectuꝫ pfectione cōpleta: iō quattuor ſunt dotes. Cōtra corruptionē ⁊ paſſionē: incorruptibilitas vel impaſſibilitas. Cōtra obſcuritatem claritas. Cōtra aīalitatē ſpūalitas. Cōtra infirmitatem virtus ſiue penetrabilitas. Vnde aplus. j. Cor. xv. ait: Seminatur in corruptione ſurget in incorruptione: ecce impaſſibilitas. Seminatur in ignobilitate ſurget in gloria: ecce claritas. Seminatur in infirmitate ſurget in virtute: ecce ſubtilitas. Seminatur corpus aīale ſurget ſpūale: ecce agilitas. ⁊ Augu. lib. xxij. de ciui. dei. inquit: Abijcietur a corporibus nris oīs deformitas: oīs tarditas: oīs infirmitas: oīs corruptio. Oīs deformitas p claritatē. Oīs tarditas per agilitatē. Oīs infirmitas p ſpūalitatē. Oīs corruptio p impaſſibilitatē. Videtur itaqꝫ ſufficiens iſta dotium enumeratio. Nā dotes corporis dicuntur nō omnes qualitates: ſed qualitates nobiles ⁊ principales de nouo ſupaddite nature. Et qꝛ de nouo ſupaddite debēt accipi ſm naturales defectus: ⁊ hi ſm cauſas pricipales q̄ ſunt quattuor elemēta. ¶ Tertio ꝯſideremus de dotibꝰ corporū btōꝝ cōditionē. Prima dos eſt impaſſibilitas. Erūt enim corpora illa incorruptibilia ⁊ impaſſibilia. Sed huius impaſſibilitatis cauſam diuerſimode pleriqꝫ ponunt. Dicunt ergo quidā ꝙ elementa erūt in corpore glorioſo ſm ſubſtantiā nō ſm qualitates. Et iō qꝛ ſubſtatie nihil eſt contrariū: ſed vbi nulla eſt cōtrarietas nulla eſt pugna nec diſſolutio ex conſequenti corpora illa erūt incorruptibilia ⁊ impaſſibilia. Sed hoc ſtare nō pōt: vt dicit Boñ. ꝙ a corporibus glioſis: vt refert Augu. vitia detrahuntur: natura ſeruabitur. Sed qualitates elemētales ſunt eis naturales: ergo manebunt. Si dicas ꝙ manent ſm eſſentiam nō ſm actum. Cōtra qꝛ vnūquodqꝫ nobilius eſt qū eſt coniunctum actui q̄ꝫ qñ nō. Alij dicūt ꝙ corpora beata erunt impaſſibilia p hoc ꝙ ceſſabit motus celi quo ceſſante nihil pōt moueri. Sed articulus iſte excōicatus eſt. Nā ſm Auguſtinū ſi ceſſaret motus celi adhuc rota figuli poſſet moueri. Landul. in ſuo. iiij. aſſerit ꝙ cauſa impaſſibilitatis corpoꝝ btōꝝ eſt ex hoc ꝙ voluntas diuina nō coagit cuicūqꝫ cauſe ſecunde corrūpenti. Ceſſante enim prima cā ab actiōe ſua ceſſabit cā ſcđa. Jō nulla cā ſcđa pōt corrūpere corpora btā: qꝛ deus non coaget illi: ſicut corpora triuꝫ pueroruꝫ erant impaſſibilia ab igne: qꝛ deus nō coagebat igni ad comburendū eos: lꝫ coageret ei ad talia combuſtibilia. Si obijcias cōtra iſta qꝛ tūc impaſſibilitas nō eſſet dos: qꝛ nihil poneret in corpore dotato niſi priuationem actionis diuine. Et ſcđo qꝛ eodeꝫ modo erūt impaſſibilia corpora dānatorū: qꝛ deus non coaget igni vt corrūpat ea. Reſpōdet Landul. ꝙ nō oportet ꝙ dos ſit in dotato. Nam dos non eſt in ſpōſa que dotatur: ſed ſufficit ꝙ ex dote aliquid fiat circa perſonam dotatam: ⁊ ſic eſt in ꝓpoſito. Vel dicere poſſumꝰ: ꝙ impaſſibilitas eſt quedam priuatio paſſionis ſeu potentie recipientis paſſionē: ⁊ iſta priuatio eſt in corpore dotato. ſ. corpore beato: ſed eſt a voluntate diuina. ¶ De corporibus vō damnatis dicit Landul. ꝙ non habebunt dotem impaſſibilitatis. Tum qꝛ fortiſſime patientur ab igne tum quia non datur eis pro meritis ꝙ non corrumpantur ab igne: ſed vt continue crucientur. Richardus vō in ſuo. iiij. vbi. ſ. refert ꝙ in impaſſibilitate eſt cōſiderare: ⁊ illud qđ ponit ⁊ illud qđ excludit. Quis enim ſignificetur negatiuo modo: tamen res per eam ſignificata non eſt priuatio: ſed habitus. Eſt em̄ qualitas in corpore ex redundantia beatitudinis anime cauſata: corpus prohibens ab omni paſſione corruptioni contraria. Omiſſis itaqꝫ doctoꝝ opinionibus varijs de cauſa impaſſibilitatis illorum corporum glorificatoruꝫ firmiter

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

⁊ indubitanter tenere debemꝰ ꝙ pre⸗
tacta corpora nec patient nec poterūt
pati: nec ab interiori nec ab exteriori:
nō a frigore: nō a calore: nō a fame: nō
a ſiti: nō ab egritudinibꝰ: ⁊ hmōi qui
bus moleſtamur in pſenti vita quoti⸗
die. Jō Apocal. xxj. ſcribit: Abſterget
deus oēm lachrymā ab oculis eoꝝ: et
mors vltra nō erit: neqꝫ luctꝰ: neqꝫ cla⸗
mor: neqꝫ dolor erit vltra. Erit itaqꝫ
ibi ſanitas ſine infirmitate: iuuētus ſi
ne ſenectute: vita ſine morte. ¶ Scḋa
dos corpoꝝ btōꝝ ḋr claritas. De hac
ſcribitur Sap. iij. Fulgebunt iuſti. Et
Mat. xiij. Fulgebūt iuſti ſicut ſol in re
gno patris eoꝝ. Sunt nihilominus in
hac parte tres theologoꝝ ꝓpoſitiōes
attendende. ¶ Prima eſt dn̄i Bonauē
ture ⁊ Lūdulphi: qui dicūt ꝙ corpora
beatoꝝ erūt luminoſa ⁊ colorata. Co⸗
lorata quidē ꝓpter naturā quattuor
elemētoꝝ ⁊ eoꝝ qualitates ex qbus cō
ſtabit corpus humanū. Sed luminoſa
rōne luminis ſuperadditi. nā noctilu⸗
ca de dei apparet colorata: de nocte lu
cida. Simlr carbo per ſui naturā alicu
ius coloris eſt: igne aūt aduenīēte effi⸗
citur luminoſus: ⁊ tn̄ nihilominus eſt
coloratus: q: eſt ibi lux materie terre⸗
ſtri incorporata. Sic corpus reſurgēs
per naturā ſuā habebit colorē ⁊ clari⸗
tas luminis ſuperinducet ipſum ſicut
ignis carbonē. ¶ Scḋa ꝓpoſitio ſm
Richardū: ꝙ lux elemētalis ⁊ lux cor⸗
poris glorificati nō ſunt eiuſdē ſpeciei
ſed lux eſt quaſi quedā imitatio illius:
ſicut lux ſpūalis aīe nō eſt eiuſdē ſpeci
ei cū ſpirituali luce glorie: ſed eſt qdaꝫ
imitatio illiꝰ. Simlr lux ſolaris eiuſ⸗
dē ſpeciei nō eſt cū luce corporis glori⸗
ficati: ſed vna eſt quedā ſimilitudo ſeu
imitatio alteriꝰ. Et lꝫ dicat Mat. xvij.
de xp̄o. Reſplēduit facies eiꝰ ſicut ſol:
tn̄ gloſa ibi dicit plus certe ꝙ̄ ſol: ſed
non habuit exēplū maius cui cōpara⸗
ret. ¶ Tertia ꝓpoſitio eſt ꝙ lux corpo⸗
ris xp̄i eiuſdē ſpeciei eſt cū luce q̄ poſt
reſurrectionē erit ī alijs corporibꝰ glo⸗
rificatis. Jdeo apl's dixit Phil. iij. Re
formabit corpꝰ hūilitatis noſtre confi
guratū corpori claritatis ſue. Tn̄ erit
differētia inter lucē corporis xp̄i: ⁊ lu⸗
cem alioꝝ. Et inter ſe etiā differūt lux
vniꝰ corporis glorioſi a luce alteriꝰ ſm
magis ⁊ minꝰ. Quod notauit apl's di⸗
cēs. j. ad Corinthios. xv. Alia eſt clari⸗
tas ſolis: alia claritas lune: alia clari⸗
tas ſtellarū. Stella eni͂ differt a ſtella
in claritate: ſic ⁊ reſurrectio mortuoꝝ.
Nā ſicut dicit magiſter ſententiarū in
littera. Claritas corpoꝝ eſt differēs ſm
differētiā glorie aīarum: q: ex claritate
beatitudinis aīe claritas redundabit
in corpus. Vn̄ ſm ꝓportionē qua bea
titudo aīe xp̄i excedit beatitudineꝫ cu
iuſlibet alteriꝰ aīe: ſic lux corporis xp̄i
excedit lumen futurū in quocūqꝫ alio
corpore. ¶ Tertia dos corporū beatoꝝ
erit ſubtilitas. Vbi dicit Richardus
de media villa ex mēte philoſophi: ꝙ
res triplici de cā eſt penetratiua. Aut
propter quātitatis paruitatē: maxime
ſm latuꝫ ⁊ profundū vnde acus q̄uis
longa: penetratiua eſt. Aut propter ra
ritatē: ⁊ ſi aer eſt penetratiuus. Aut ꝓ
pter actiue virtutis magnitudinē: ſic
vinū eſt penetratiuū multomagis ꝙ̄
ſimplex aqua quātūcūqꝫ tenuis. Qua⸗
propter aqua cū modico vino bibita
magis refrigerat ſanū ꝙ̄ ſi per ſe biba
tur: q: vinū facit eam ad loca corporis
penetrare. Scḋm pmā cām penetrā⸗
di non attendit ſubtilitas corpoꝝ bea
torū: q: indebita quantitate reſurgēt.
Nec etiā ſm cām ſecundā: q: tota ma⸗
teria que eſt neceſſaria ad eſſentiā coꝝ
reſurget in eis. Vnde quidā errauerūt
dicētes: ꝙ corpora glorioſa erūt ratio⸗
ra aere vel vento. Quē errorē vt ponit
Gregorius in moralibus tenuit Eutici
us conſtantinopolitane vrbis epiſco⸗
pus. Jgitur ſubtilitas illorum corpoꝝ
erit ſm tertiam cauſam. Per virtutes
nanqꝫ beatitudinis anime erit in bea⸗
tis corporibus tanta magnitudo vir⸗
tutis actiue ꝙ per eam multo efficacꝰ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poterāt penetrare ꝙ̄ ignis vel aer. Un̄
Anſelmus in libro de ſimilitudinibus
inter pncipiū ⁊ mediū de quolibꝫ bea
to dicit: ꝙ in tantū erit fortis vt etiā ſi
velit terrā cōmouere poſſit. ¶ Quarta
dos corpoꝝ beatoꝝ erit agilitas. De
qua Sap. iij. ſcribit̄: Tanꝙ̄ ſcintille in
arūdineto diſcurrēt. ſ. beati volabūt ⁊
nō deficiēt. Ad qd̄ intelligēdum dicit
Landulphus ꝙ tria cōcurrūt ad agili
tatē. ¶ Primū eſt potētia aīe motiua.
Duplex em̄ motus eſt in hoīe. Unus q̄
eſt ſm elemētū ꝑdominās quo moue-
tur deorſum: ⁊ iſte motꝰ nō ineſt ſibi ꝑ
aīam. Alius eſt motꝰ ꝓgreſſiuus cuiꝰ
principiū eſt aīa: q̄ motꝰ tripliciter dif-
ferūt. Primo qꝛ vnus eſt ab aīa ſcꝫ pro
greſſiuus: alius aūt nō. Scd̄o qꝛ motꝰ
primꝰ eſt ad vnū tm̄ eo ꝙ ſequit̄ graui
tatē, ſcd̄s pōt eſſe ad diuerſa ſm diuer
ſam apprehēſionē ſenſus quā ſequit̄
aīa. Tertio qꝛ i primo motu grauitas
que eſt principiū eiꝰ nō pōt deſiſtere:
ſed in ſcd̄o motu pōt aīa deſiſtere. Ha
bet nihilominꝰ aīa potētiā nō ſolū ad
motū ꝓgreſſiuū organice: ſed etiaꝫ ad
mouēdū corpus nō organice. Dicitur
autem aīa mouere organice qn̄ mouet
vnā ptē mediante alia: ſicut mouēdo
pꝫ mouet alia mēbra: ⁊ ſic fit motꝰ pro
greſſiuꝰ. Mouet em̄ īmediate vnā par
tē mediāte illa mouet aliā: ⁊ ſic moue-
tur totꝰ hō ſucceſſiue. Dicit̄ etiā moue
re nō organice mouēdo totū ſimul. Et
ſic aīa beata poterit corpus ſubito mo
uere: licꝫ nō in inſtāti de loco ad locū.
¶ Scd̄ꝫ qd̄ occurrit ad agilitateꝫ erit
multiplicatio ſpirituū puriſſimoꝝ. Tū
qꝛ ſpūs vitales erūt puriſſimi ⁊ vigo-
roſiſſimi: tū qꝛ corpꝰ replebit̄ aliq̄ pu-
riſſimo elemēto. ſ. puriſſimo aere vt nō
ſit vacuū nō erūt tūc faces. ¶ Tertiuꝫ
qd̄ cōcurrit ad agilitatē erit remotio
oīs indiſpoſitiōis q̄ eſt in neruis ⁊ in
corpore: ⁊ oīs pōderoſitas q̄ nō eſt de
eſſentia nature. Et tūc aīa poterit mo-
uere facilit̄ tale corpꝰ vel motu ꝓgreſ-
ſiuo vel totū ſimul. ¶ Si dicas quō ita
bunt corpa in celo empyreo. Rn̄deo ꝙ
ambulabūt ⁊ mouebunt̄ ſubito ꝑ ubi
to. Si qn̄ ſtabūt credit̄ ꝙ ſtabunt ere-
cta. Licꝫ em̄ corpi in quātū corpus eſt
magis cōpetat ſedere vel iacere. Tn̄ in
quātū eſt inſtrumētū aīe magis com-
petit ſibi ſtare ꝓpter pticipationē ad
operandū. Un̄ Stephanus vidit ieſuꝫ
ſtanteꝫ a dextris dei. Actuū. vij. c. Oēs
etiā ſenſus tam ſpūales ꝙ̄ corporales
erūt in ſua ꝑfectiōe. Uidebit nāqꝫ aīa
deū per clarā viſionē: odorabit deuꝫ ꝑ
transformationē: audiet deū ꝑ ſue vo-
lūtatis impletionē. Ex his ſenſibus in
aīa glorificata redundabit gloria in
ſenſibꝰ corpis glorioſi: ⁊ quāta magis
aīa erit glorificata a deo i ſenſibꝰ ſuis
tanto in corporeos ſenſus in maioreꝫ
gloriam redūdabit. ¶ Primo quidē vi
ſus erit tāte perfectionis: ꝙ ab extrin-
ſeco non poterit corrumpi vel impedi
ri. Nā ſine obſtaculo videbit cūcta cor
pora. Unde vndecim nobilitatibꝰ erit
decoratus. Primo quidē videbit intra
ſicut extra: ⁊ oīa corda ⁊ corpis armo-
niam: atqꝫ interioꝝ mēbrorū diſpoſi-
tionē: vt dicit cōmentator ſuper Iſido
rū de ange. hierar. Scd̄o videbit ocu
lus ſubtus ſicut ſupra. Tertio videbit
de longe ſicut ꝓpe. Quarto minima ſi
cut magna. nā videbit beatos in oriē-
te etiam ſi ipſe moueret in occidente.
Quinto ſuperiora oculos non leuan-
do. Sexto inferiora oculos non iclinā
do. Septimo videbit diuerſa obiecta ⁊
quaſi infinitos radios tanꝙ̄ vnū ⁊ q̄ſi
vnitos. Octauo videbit qd̄libꝫ obiectū
⁊ qd̄libꝫ ꝑdictoꝝ q̄ſi infinitoꝝ radioꝝ
ab altero ſeparatū. Nono videbit i no
cte ſicut i die. Decimo oculis clauſis ſi
cut aptis. Undecimo abſqꝫ labore aliq̄
⁊ iſatigabili oīa ſupradicta. vn̄ eſa. lx.
Tūc videbis ⁊ afflues ⁊ mirabit̄ ⁊ dila
tabit̄ cor tuū. ¶ Scd̄o auditꝰ ꝑficiet̄.
Nā nullū auditꝰ obſtaculū poterit ipe
dire eū vl' ꝑturbare. Qui i tribꝰ marie
perfectus erit. Primo nanqꝫ audiet
oēs in ſimul ſonos ⁊ voces. ⁊ oēs can-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tus totius celeſtis curie ſine reuerbera
tione aeris. Scđo diſcernet in his vnū
ab altero ita diſtincte: ꝙ nullus cant9
ſonus aut vox poterit ab altero īpedi-
ri. Tertio audiet ita delōge ſicut depro
pe. ¶ Tertio aūt guſtus pficiet qui eſt
quidā tactus. Nā guſtus ⁊ tact9 ī pſen-
tiuita ſimiles quodāmodo dici poſſunt
Nā guſtus particularis eſt tactus qui
eſt in oībus ſubiectis. ideſt ſenſuū par
tibus ſubiectiuis. Guſtus aūt non erit
in patria in aliquo actu: qui deſeruiat
nutritiue: ſed tantūmodo inquātuꝫ eſt
apprehēſiuus ſapoꝝ: redūdabit quedā
dulcedo anime in ſenſum guſtus: ⁊ ſm
quoſdā cauſabit in lingua ⁊ guſtu bea-
to quādā ſuauiſſimā humiditatē habē
tem illū saporē qui correſpōdeat perfe-
ctioni illius cui9 erit lingua. Rich. diſ.
xcix. ar. iiij. q. iij. ad. v. ar. tñ ſentit ꝙ ta
lis humiditas ī palato ⁊ guſtu: aut fiet
a deo per creationē: aut cauſabit in ea
ex vi beatitudinis anime. Exēplum de
ſctīs prīb9 q̄ tā parū comedebāt. Exem
plū de btō Fran. qui ieiunauit in lacu
peruſino. Exemplū de Maria magda-
lena. ¶ Quarto ſenſus odoratus perfi-
cietur in eſtimabili ſuauitate odoris: q̄
tñ odor nō cauſabitur ex euaporatione
ſeu reſolutione ab aliquo corpore odo-
rabili que tunc nō erit: quia repugnat
impaſſibilitati: ſed ſolū per multiplica
tionē odoris a corpore odorifero ad ip
ſum ſenſum: immutando ipſum nō im
mutatione materiali: ſed tñ immuta-
tione animali. Pro quo notanduꝫ ſm
Rich. vbi. ś. ad. vj. ar. ꝙ fumalis eua-
poratio nō eſt per ſe neceſſaria ad hoc
vt ſimilitudo odoris pertingat vſqꝫ ad
olfatū. Quod patꝫ: q2 refert phs. ij. de
anima quedā ſunt animalia que alōge
currunt ad alimētum per hoc quod ab
odore mouētur. Unde vultures ex odo
re percepto ad loca tam remota currūt
ad cadauera ꝙ non eſſet poſſibile ꝙ
euaporatio facta ab illis cadaueribus
pertingeret ad loca tam remota. Sꝫ ꝙ
cum multiplicatione odoris fiat euapo
ratio aliqua a corpore odorifero: hoc
prouenit ex hoc quia corpora odorife-
ra ſunt nimia humiditate aſperſa. Sꝫ
in corporibus glorioſis erit odor in ſua
vltima perfectione: nullo modo per ali
quam ſuperfluam humiditatem diſper
ſus. Et ideo ab eis multiplicabit odor
ad olfatum ſine aliqua euaporatione.
¶ Quinto tactus perficiet atqꝫ inexpli
cabili delectatione iocūdabitur. Quia
nēpe iocūdiſſima ſuauitate adherebit
deo: hinc eſt ꝙ corpori ſuo iūctus hanc
iocūdiſſimā adherētiam illi impartire-
tur. Sed quia anima glorioſa erit in to
to ſuo corpore glorioſa: hinc eſt ꝙ glo-
riam ſuā toti corpori communicabit p
experiētiam tanti altiſſimi ⁊ glorioſiſſi
mi ſenſus ꝙ in preſenti vita nō poteſt
bene ītelligi aut credi: niſi ab illis qui
per priuilegium ſingulare toto corpore
aliquam diuinam dulcedinem experi-
mentaliter experti ſunt. Talis aūt per-
fectio predictorū procedet: quia volun
tas ſubiecta deo corpi ⁊ ei9 ſenſib9 ad li
bitū imperabit. Corpus ꝟo cū ſenſibus
ſuis anime ſicut anima deo obediet.

¶ Qꝫ ingens erit leticia beatoꝝ ex eo ꝙ
habitabūt in celo empyreo. Cap. iij.

TErtio oſtēdimus ꝙ ſit copio
ſum gaudiū beatoꝝ ppter lo
ci habitationē q2 habitabūt
in celo: vbi tria dubia meri-
to declaremus.

Primū vtrū ſcriptura ſacra celi pro-
ductionē recte denunciet.

Scđm vtrū celū ſit vnū vel ples.

Tertiū vtrū celū ſit locus beatoꝝ.

¶ Ad primum dubium oritur ambigui
tas: ⁊ quidem nō parua. qm̄ Gen. j. ſcri
bitur: In principio creauit deus celum
⁊ terram: vbi aſſerit ſcriptura celū pri-
ma die creatum. deinde ſequitur: voca
uit deus firmamentum celum: qđ con-
firmat ſecunda die factum. Ad hoc re-
ſpōdet Thom. j. parte. q. lxviij. Primo
ſm Chryſoſt. qui aſſerit ꝙ moyſes ſum
marie dixit ꝙ deus fecit premittens.
In principio creauit de9 ⁊c. poſtea per

partes explicauit: ſicut ſi quis dicat: hic
artifex fecit hāc domū: ꝛ poſtea ſubdat:
primo fecit fundamenta: ſecundo erexit
parietes: tertio ſuppoſuit tectuꝫ. Et ſic
nō oportet nos aliud celū intelligere cū
dr Gen. i. In principio creauit deꝰ celū
ꝛ terrā. Et cum dr ꝙ ſcōa die factum eſt
firmamentum. Scōo pōt dici aliud eſſe
celum qd̄ legit̄ in principio creatū et qd̄
legitur ſecūda die factum: ꝛ hoc diuerſi-
mode. Nam ſm Aug. celū qd̄ legit̄ pri-
ma die factuꝫ eſt natura ſpiritualis in-
formis. Celū aūt qd̄ legitur ſecunda die
factū eſt celū corporeum. Scōm vō Be-
dam ꝛ Serabiū. Celū qd̄ legitur prima
die factū eſt celū empyreū. Firmamen-
tum vō qd̄ legit̄ ſcōa die factū eſt celuꝫ
ſidereū. Damaſcenus vō dicit ꝙ celum
prima die factū eſt quoddā celū ſpheri-
cum ſine ſtellis: de quo pħi loquūtur di
cētes ipſum eſſe nonā ſpherā ꝛ primum
mobile qd̄ mouetur motu diurno. Per
firmamentū vō factū ſecūda die intelli
gitur celū ſydereū. ¶ Scōm dubiuꝫ fuit
vtrum celum ſit vnum vel plures. Et ꝙ
ſit vnū ꝓbari poſſet: qꝛ dicitur celum in
ſingulari Gen. i. c. vbi. ſ. Sed hec obie-
ctio debilis eſt qm̄ ſcriptura ſepius ce-
los noīat in plurali. Unde Deut. xxxij.
Audite celi que loquor. ꝛ. ij. Regū. xxij.
Inclinauit celos ꝛ deſcendit. ꝛ Iob. xv.
Celi nō ſunt mundi in cōſpectu eius. et
pſ. ij. Qui habitat ī celis irridebit eos.
ꝛ pſ. xxxij. Uerbo dn̄i celi firmati ſunt.
ꝛ pſ. xlix. Annunciabūt celi iuſticiā eiꝰ.
ꝛ pſ. lxxxviij. Tui ſunt celi ꝛ tua ē terra.
ꝛ Sap. ix. Que in celis ſunt quis inue-
ſtigabit: ꝛ Eſaie. xlv. Rorate celi deſup.
ꝛ Ezech. i. Aperti ſunt celi et vidi viſio-
nes dei. Et ad Heb. i. Opera manuum
tuarū ſunt celi. ¶ Reſpōdet ergo Tho.
i. parte vbi. ſ. ꝙ circa hoc videtur eſſe
quedā diuerſitas inter Baſiliū et Chry-
ſoſto. Chryſoſtomus enim dicit non eſſe
niſi vnum celum. Et ꝙ pluraliter dicit̄
celi celorum: hoc eſt propter proprietatē
lingue hebree in qua conſuetum eſt vt
celum ſoluꝫ pluraliter ſignificetur. Si-
cut ſunt multa etiam nomina in latino
que ſingulari carent. Baſilius aūt ꝛ Da
maſcenus dicūt plures eſſe celos. Sed
hec diuerſitas magis eſt ī voce ꝙꝫ in re.
Nam Chryſo. vnū celū nominat totum
corpus qd̄ eſt ſupra terram et aquam.
Nam etiā aues que volāt in aere dicun
tur propter hoc volucres celi. Sed quia
in iſto corpore ſunt multe diſtinctiones
propter hoc Baſilius ponit plures ce-
los. Ad diſtinctionem ergo celoꝝ ſcien-
dum cōſiderandū eſt ꝙ celuꝫ tripliciter
dicitur in ſcripturis. Quādoqꝫ em̄ dici-
tur proprie ꝛ naturaliter: ꝛ ſic dicit̄ celū
corpus aliquod ſublime et luminoſum
actu vel potentia et incorruptibile per
naturam. Et ſm hoc ponūtur tres celi.
Primū totaliter lucidū qd̄ vocatur em-
pyreum. Scōm totaliter dyafanum qd̄
vocāt celum aqueū vel cryſtallinū. Ter-
tium partim dyafanū et partim lucidū
actu qd̄ vocāt celū ſydereuꝫ. Et diuidit̄
in octo ſpheras. ſ. ſpherā ſtellarū fixarū
et ſeptē ſpheras planetarū que poſſunt
dici octo celi. Scōo dicit̄ celū per parti-
cipationē alicuius proprietatis celeſtis
corporis: ſcꝫ ſublimitatis ꝛ luminoſita-
tis actu vel potentia. Et ſic totum iſtud
ſpaciū qd̄ eſt ab aquis vſqꝫ ad orbē lu-
ne. Damaſcenus ponit vnū celū nomi-
nans illud aereū: et ſic ſm euꝫ ſunt tres
celi: aereū: ſydereū: ꝛ aliud ſuperius: de
quo intelligit ꝙ apl's legit̄ raptus vſqꝫ
ad tertiū celū. Sed qꝛ iſtud ſpaciū con-
tinet duo elementa ignis et aeris: et in
vtroqꝫ eoꝝ vocat̄ inferior ꝛ ſuperior re-
gio: iō iſtud celū Rabanus diſtinxit in
quattuor: ſupremā regionē ignis nomi
nās celū igneū. Inferiorē vō regionem
celū olimpiū: ab altitudine cuiuſdā mō
tis qui vocatur olimpus. Supremā vō
regionē aeris vocauit celū ethereū: pro-
pter inflammationē. Inferiorem vō re-
gionem celum aereū. Et ſic cū iſti quat-
tuor celi tribus ſuperioribꝰ cōnumerā-
tur ſ. ūt in vniuerſo ſm Rabanū ſepteꝫ
celi corporei. Tertio dr celū metaphori-
ce: ꝛ ſic qn̄qꝫ ipſa ſancta trinitas dicitur

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

celū ꝓpter ei⁹ ſpūalem ſublimitatē ⁊ lucem. Qñq; etiā ſpiritualia bona in quibus eſt ſanctoꝝ remuneratio ꝓpter eorū eminētiā celi nominantur. Qñq; ꝟo tria genera ſupnaliū viſionū. ſ. corporalis: imaginarie ⁊ intellectualis: tres celi nominātur: de quib⁹ exponit Aug. ꝙ Paulus eſt raptus vſq; ad tertiū celuꝫ.

¶ Tertiū dubiū fuit vtrū celuꝫ ſit locus beatorū. Et ꝙ ſic ptꝫ ex teſtimonio ſcripturaꝝ. Inqt em̄ ſaluator noſter Mat. v. Beati pauperes ſpū: qm̄ ipſoꝝ eſt regnū celoꝝ. ⁊ ibidem. Merces veſtra copioſa eſt in celis. ⁊ xxij. c. Erūt ſicut angeli dei in celo. ⁊ Paul⁹ Act. xiiij. Oportet nos ꝑ multas tribulationes intrare in regnū celoꝝ. Et. j. Pet. j. Benedictus deus ⁊ pater dñi noſtri ieſu xp̄i qui ſm̄ miam ſuā magnam regenerauit nos in ſpem viuā per. reſurrectionē ieſu xp̄i ex mortuis in hereditatē incorruptibilē et incōtaminatā ⁊ immarceſſibilē ſeruatā in celis. Et etiā eccleſia cātat. Gaudēt in celis aīe ſanctoꝝ ꝗ xp̄i veſtigia ſunt ſecuti. Et iterū in officio vnius martyris. Iſte eſt qui cōtēpſit vitā mūdi ⁊ peruenit ad celeſtia regna. ⁊ Macrobius ſup ſomnuꝫ Scipionis. Sic habeto oībus ꝗ patriā ſeruauerint iuuerint auxerint certū eſſe in celo diffinitū locū vbi beati euo ſempiterno fruātur. ⁊ Lucretius: de quo refert Lactātius li. vij. Cedit idē retro de terra qđ fuit ante. In terrā: ſed qđ miſſum eſt ex etheris oris. Id rurſus celi fulgentia templa recepta. Conueniunt itaq; in hoc oēs viri ſapientes ꝙ beati habitabunt in celo. Theologi ꝟo explicant illud fore celum empyreuꝫ: qđ ſm̄ Thom̄. j. parte. q. lxvj. ar. iij. dicitur: empyreum. i. igneum non ab ardore: ſed a ſplendore et luminoſitate. Illud nāq; celum ſm̄ ſanctum Bona. in. ij. diſtin. ij. parte. ij. ar. j. q. j. eſt locus ſpiritualium ſubſtantiarum ⁊ locus corporum glorificatorum. Uerum philoſophi de hoc celo nihil ſunt locuti: tamen via naturali etiā poterimus hoc celū percipere. Scripture ꝟo ſacra illud exprimit cum ait: In principio creauit deus celū ⁊ terrā. Nicolaus de lyra exponit de empyreo. Et hoc probat per litteram ſequentem: quia firmamentum ⁊ celum aqueum facta ſunt ſecūda die. ⁊ Damaſcenus hoc exponit: In principio creauit deus celū et terram: ideſt ſine ſtellis ſpherice forme. Quod autem illud celum ſit ponendū vt dicit Bonauentura vbi. ſ. triplex ratio finis perſuadet.

Prima eſt perfectio vniuerſi.

Scđa eſt ꝓpter motū firmamēti.

Tertia eſt habitatio hoīs beati.

¶ Et qm̄ finis imponit neceſſitateꝫ his que ſunt ad finē propter perfectionem vniuerſi neceſſe eſt ipſum eſſe vniforme: qꝛ cū ſit celū luminoſum difforme: ſi nō eſſet vniforme nō eſſet vniuerſum completum. Propter motū firmamēti ponēdū eſt ipſum eſſe immobile: vt mot⁹ mobilis fiat circa immobile: ſcꝫ centrum: ⁊ intra cōtinēs immobile et locās: ſcꝫ empyreū. Nā Ariſt. dicit in. ij. de celo ⁊ mūdo. c. iiij. In quolibet gñe mobile ſupponit immobile: qꝛ oīe flexibile ad aliqđ fixū terminat̄. Sed corpus celi ſyderei eſt mobile: ergo ſupra illud de neceſſitate eſt ponere vltimum corpus qđ ſit immobile: hoc quidē eſt empyreū. Item. x. Metaphy. c. ij. ⁊ libro. ij. celi ⁊ mūdi. v. c. et in arithmetica in multis locis. In quolibet genere in quo eſt ponere infinitum ⁊ mediuꝫ: eſt ponere ſupremum: Sed gradus in corporibus attēdit̄ ſm̄ gradus perſpicui ⁊ lucis. Sed inuenit̄ corpus opacū ſimpliciter: vt terra et ſm̄ totū opacuꝫ. Ergo ſi cōplemētum eſt in corporibus: dꝫ eſſe corpus ſimplr̄ et ſm̄ totū luminoſuꝫ. Propter etiā habitationem hoīs beati ponēdū eſt ipſum luminoſitatis perfecte vt habitatio cōgruat ſuo habitatori. Nā cū aliqs locus tenebroſus debeatur dānatis per oppoſituꝫ lucidus debetur beatis. Procedet auteꝫ leticia beatis propter tria.

Primo ꝓpter loci luminoſitatē.

Scđo ꝓpter loci puritatē.

Tertio ꝓpter loci magnitudinē.

¶ Primo beatis ꝓcedet leticia propter
loci luminoſitatem: qꝛ dicit Scotus in
iiij.diſt.xlix. Illud celū erit lumine ple-
niſſimum: ⁊ om̄i iocūditate gratioſum.
Ideo clamat Tobias.xiij. Beatus ero ſi
fuerint reliquie ſeminis mei ad vidēdā
claritatē hieruſalē. Certe ſi eſſet poſſibi
le vnā animaꝫ videre gaudia illius vite
certiſſime deſpiceret infinita gaudia hu
ius mūdi. Vn̄ Aug. lib.iiij. de libe.arbi.
inq̄t: Tāta eſt autē pulchritudo iuſticie
tanta eſt iocūditas lucis eterne: hoc eſt
incōmutabilis veritatis atqꝫ ſapiētie:
vt etiā ſi in ea nō liceret amplꝰ manere
q̄ vnius diei mora: ꝓpter hoc ſoluꝫ in-
numerabiles anni huius vite pleni deli
tijs ⁊ affluētia tēporalium bonoꝝ recte
meritoqꝫ cōtemnerētur: nō enim prauo
aut falſo affectu dictū eſt pſ.lxxxiij. Qꝛ
melior dies vna in atrijs tuis ſuper mi-
lia. O igitur ceci mundani q̄ paradiſum
facitis de hoc mundo: qui eſt paradiſus
aſinorū. Surſum corda. Hinc eſt ꝙ Au
gu. in lib. ſoliloquiorū illā patriā cōſide
rans magna cum dulcedine dicebat: O
regnū eternū: regnū omniū ſeculoꝝ: vbi
lumē indeficiēs ⁊ pax dei que exuperat
om̄em ſenſum in qua ſanctoꝝ aīe requie-
ſcūt ⁊ leticia ſempiterna ſuꝑ capita eoꝝ
gaudiū ⁊ exultationem obtinebūt ⁊ fu-
giet dolor et gemitꝰ. O ꝙ glorioſum eſt
regnū in quo tecū dn̄e regnāt oēs ſan-
cti amicti lumine ſicut veſtimēto: habē
tes in capite ſuo coronaꝫ de lapide pre-
cioſo. O regnū beatitudinis eterne: vbi
tu dn̄e ſpes ſanctoꝝ ⁊ corona glorie fa-
cie ad facieꝫ videris a ſanctis letificans
eos vndiqꝫ in pace tua q̄ exuperat om-
nem ſenſum. Vbi gaudiū infinitū: leti-
cia ſine triſticia: ſalus ſine dolore: vita
ſine labore: lux ſine tenebris: vita ſine
morte: omne bonū ſine omni malo. Ibi
iuuētus nunq̄ ſeneſcit: ibi vita termi-
num neſcit: ibi decor nūq̄ palleſcit: ibi
ſanitas nunq̄ marceſcit: ibi gaudium
nunq̄ decreſcit: ibi dolor nunq̄ ſenti-
tur: ibi gemitus nunq̄ auditur: ibi tri-
ſte nihil videt: ibi leticia ſemꝑ habetur:
ibi malū nullū timet: qm̄ ſummū bonū
poſſidetur qd̄ eſt ſemper videre faciem
dn̄i virtutum. hec ille. Non oportet ibi
querere oleū ꝓ lucerna vt luceat in ea.
Nam claritas dei illuminabit illā et lu-
cerna eius eſt agnus et ambulabunt in
lumine eius. ¶ Secūdo proceder beatis
leticia ꝓpter loci puritatē. Nō erūt ibi
caligines nō lutū: nō fetores: non calo-
res: nō frigora: nō malicia: non pauper-
tas: non tormenta ⁊ odia: ſed tota puri
tas ſanctitas: leticia. Apoca.xxj. Nō in-
trabit in eā aliq̄d coinquinatū ⁊ abomi
nationē faciens ⁊ mendacium. Et Aug.
de vanitate mūdi. Non erūt ibi fames
neqꝫ ſitis: non frigus: non eſtus: nulla
tentatio: aut peccandi voluntas. ¶ Ter
tio procedet beatis leticia propter loci
magnitudinem. Si quis velit compre-
hēdere magnitudinem illius patrie ſu-
perne: incipiat ab his inferioribus nu-
merare: quia Roma.j. ſcribitur: Inuiſi-
bilia dei a creatura mundi ⁊c. Conſide-
ra ergo primo terrā: aquā: aerem: ignis:
ſpheram: ⁊ lunam: mercuriū: ſolem: ve-
nerem: martem: iouem: ſaturnuꝫ: ſtella-
tum celum: et cryſtalinum: et celum em-
pyreum. Iſtorum nāqꝫ quolibet alterū
in decuplo ſuperat in magnitudine et
pulchritudine. Baruch. iij. O iſrael q̄
magna eſt domus dei et ingens locus
poſſeſſionis eius. Auguſti. de vanita-
te mūdi dicit: Nil hoc loco magnificen-
tius: nil glorioſius: nil purius: nil verꝰ:
nil iſta bonitate ſincerius: nil abūdātiꝰ
copioſius. Exemplum de templo Salo-
monis et regine auſtri. iij. Regum.x.c.
Iſtud aūt regnū eſt regnū omniū ſecu-
lorum ⁊ abſqꝫ fine. Qualiter ꝟo accedit
ad leticiaꝫ ſanctoꝝ eſſe in illo celo: ſatis
cōſtare poteſt ex his que dicūtur in ſer-
mone de anime rationalis admirandis
prerogatiuis. Igitur dicere poſſumus
cū ꝓpheta pſ.lxxxiij. Beati qui habitāt
in domo tua dn̄e in ſecula ſeculorū lau-
dabunt te. Ibi erit ex omni parte quies
et delectatio: et ſancti oēs eterna pace
fruētur. Et Augu, libro ſoliloquiorum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inquit:O patria noſtra patria ſecura:te alonge videmus ab hoc mari te ſalutamus: ab hac valle ad te ſuſpiramus et nitimur cum lachrymis ſi quando ad te perueniamus. Augebit quoqȝ gaudiuȝ beatorum iocunda ſocietas:quod patet ex tribus.

Primo ex ſocietatis multitudine.
Scđo ex ſocietatis nobilitate.
Tertio ex ſocietatis amicabilitate.

¶ Primū gaudiū erit ex ſocietatis multitudine:q: tanta erit ibi multitudo regū ⁊ reginarū:ſanctorū ⁊ ſanctarū ⁊ angeloꝝ ꝙ nō ſine magno tripudio videri poterūt. Apoca. vij. Vidi turbam magnam:quam dinumerare nemo poterat ⁊c. ¶ Secundū gaudium erit ex ſocietatis nobilitate. O ꝙ̄mirabile erit videre tot mirificos ſanctos et ſanctas: videre chriſtum ⁊c. Ideo Hieronymus ad Euſtochium. Quotiens te vana ſeculi delectat ambitio:quotiēs ibi vides aliquid glorioſum:ad paradiſum mēte trāſgredere et eſſe incipe quod futura es. Egredere pauliſper de carcere corporis tui:⁊ preſentis laboris mercedeȝ ante oculos depinge:quam oculus nō vidit: nec auris audiuit nec in cor hominis aſcēdit. ¶ Tertium gaudium erit ex ſocietatis amicabilitate. Nunquid in patria illa vnum eſt et equale omnium meritum? Certe nō. Nam Johan. xiiij. dicitur: In domo patris mei māſiones multe ſunt. Glo. ideſt diuerſa premia meritoꝝ. Et. j. Coꝝ. xv. Stella differt a ſtella in claritate. Hoc tamen intelligendum eſt ſm Richar. in. iiij. diſt. xlix. ar. ij. q. viij. cum diſcretione. In beatitudine nāqȝ eſt cōſiderare beatitudinis obiectum ſcȝ bonum increatum: qđ et idem exiſtens ab oībus participatur:⁊ etiā ipſam diſpoſitionem beatorum per quam iſtud bonum clare videndo ⁊ perfecte intelligēdo ipſum participant. Ex parte quideȝ eiuſdem obiecti participati vnus nō eſt alio beatior: quia idem eſt obiectum qđ omnes participant ſed ex parte diſpoſitionis beatorum vnus eſt beatior alio: quia propter merita capacior eſt. O miranda ſuauitas. Dicit quippe Scotus in. iiij. diſt. vlti. q. v. ꝙ tāta eſt charitas inter ipſos ꝙ vnus participat de bonis omnium. Et ꝙ̄uis naturali amore quilibet plus ſe diligat ꝙ̄ aliuȝ ⁊ plus deū actu elicito:tamen tanta erit delectatio ſocietatis: ꝙ quilibet non minus vellet pro alio bona ꝙ̄ pro ſe. Si enim in hoc mundo multi poſuerunt corpus in morte ꝓ amico:certe multo maior charitas erit ibi. Unde Anſelmus ait:Perfecta charitate innumerabilium angelorum ⁊ hominū ibi nullus minus diliget alium ꝙ̄ ſeipſum nec aliter audebit quiſqȝ pro ſingulis ꝙ̄ pro ſeipſo. Unde in paradiſo ſunt tres qualitates ſctōꝝ ſcilȝ maiorum minorum et equalium. Qui ſunt in equali gloria reduplicant eorum gloriam ab omni parte: quia cognoſcunt ſe amari a quolibet equali mēſura. Maiores ṽo reduplicant eorum gloriam ab omni parte:quia cognoſcūt ſe amari tantum quātum amant: ſcilȝ quia gaudent de eorum gloria pro quolibet ſicut de ſua propria. Minores ṽo reduplicant eorum gloriam per eorum amorem: et magis cognoſcunt illos ſe glorioſiores: et iſti minores vident aliquem ſex gradibꝰ ſe glorioſiorē:aliqueȝ centum et huiuſmodi infiniti:⁊ ꝓ quolibet reduplicant quot vicibus cognoſcunt illos glorioſiores ſe. Ex quo accidentaliter gloria in ſanctis multiplicabitur. Accedet quoqȝ ad beatitudinem ſanctorum certiſſima liberatio ab omni pena triſtāte:que erit triplex:ſcȝ

Primo a peccato.
Secundo a mundo.
Tertio ab inferno.

¶ Primo a peccato erūt ita liberi:ꝙ amplius peccare nō poterūt. O quātus eſt ſeruis dei timor in hac vita. et dicit Auguſtinus de ciuita. dei in lib. xxij. c. xxij. ne in peccatū ruāt:ibi aūt timere nō expedit. ¶ Scđo a mūdo ⁊ ſuis malis. Non erit enī caro aduerſus ſpiritū: nō diabolus tētans:non pericula aliqua. Jō Apoca.

vij.d.: Non esurient neq; sitiẽt ampliꝰ ⁊c. Ideo Bern̄. dicit: O felix anima que fetulente carnis supata miseria in huius sapiẽtie lumine requiescit: Jō Pau. Rom̄. vij. dicebat: Infelix ego hō quis me liberabit de corpore mortis huius? ⁊ Aug. li. soliloquiorꝫ dicit: Felices qui de naufragio vite p̄sentis ad tāta gaudia iā peruenire meruerunt. Infelices nos ⁊ miseri q̄ ꝑ huius maris fluctꝰ magnas ⁊ ꝓcellosas voragines trahimus nauē ignorātes an ad portū salutꝫ peruenire valeamꝰ. Infelices inquā quorꝫ est vita in exilio: vita ī periculo finis in dubio: nesciētes finē nostrū: q: oīa ī futurū reseruant̄ incerta: ⁊ adhuc in pelagi fluctibꝰ versamur suspirantes ad portū. hec ille. ¶ Tertio ab inferno videbūt se liberatos ⁊ a tāta miseria: vbi sempiternꝰ est horror ⁊ dānati crucianतur. Et q̄bus oībꝰ colligit̄ ꝙ cātabūt ⁊ glorificabūt deū. Sꝫ quō in celo possit cātari: multis nō est clarū cū dicat Damascenꝰ de angelis. Cōsilia sermone sine voce plato. Et Esa. ꝫdicere vī. vj. c. Clamabāt alter ad alterū sctūs sanctꝰ sctūs. Ad hoc dicit Bon̄. in. ij. dist. ij. ꝙ in paradiso erit laus mētalis ⁊ vocalis. Ptꝫ hoc q: multi scti ab angelis cū laudibꝰ vocalibꝰ sunt delati. Sꝫ tn̄ tutius est dicere ꝙ erit angelis mētalis; in hominibꝰ vo vtraq;: vt totꝰ hō ferat̄ ī laudē diuinā. Et si querat̄ quō pōt hoc eē: dicat̄ ꝙ illa formatio vocis nō fiet ꝑ spirationē ⁊ respirationē: sꝫ ꝑ aerē q̄ quasi naturalr̄ erit beatis cōplātatꝰ sicut ptꝫ in quibusdā aīalibus vt in apibꝰ. Vel certe ita deseruiet empyreuꝫ glificatis sicut aer corporibꝰ nō glorificatis. Si cōsideremꝰ ergo fratres charissimi. di. Greg. in homel. que ⁊ quāta sunt q̄ nobis ꝓmittuntur in celis ⁊c. vsq; ibi muнere letari. Ad q̄ nos ꝑducat ille q̄ viuit ⁊ regnat in secula seculorū. Amen.

¶ Explicitus est tractatus de beatitudine sanctorꝫ.

¶ Tabula in sequentē tractatum.

De cōceptione intemerate marie virginis. Sermo. j.
De sancta nobili et digna natiuitate virginis gloriose. Sermo. ij.
De annunciatione gloriosissime virginis marie. Sermo. iij.
In festo visitationis beate marie de priuilegijs maternitatis eiusdē: ꝓpter que ipa prestātissima ⁊ singularis merito nuncupatur. Sermo. iiij.
In festo purificationis beate marie de tribus virtutibus eiusdem contemplandis. Sermo. v.
De assumptione ⁊ exaltatione virginis sacratissime ī qua maxima relucet diuina potētia. Sermo. vj.
De sancto ioseph. Sermo. vij.
De bona spe. Sermo. viij.
De virginitate. Sermo. ix.
De patiētia que est omnibus necessaria. Sermo. x.
De predestinatorum numero ⁊ damnatorum. Sermo. xj.
De iudicio pestilētie. Sermo. xij.
De morte. Sermo. xiij.
De catenis. Sermo. xiiij.

¶ Sequitur tractatus vltimus huius operis de p̄cipuis festis beate marie virginis. In quo etiā nōnulli sermones cōmunes multū vtiles habentur. Et sunt presentis tractatus oēs sermones. xiiij.

¶ De conceptione intemerate Marie virginis: de qua varie sunt opiniones doctorum: licꝫ festū ab ecclesia celebretur. Sermo. j.

Mundum erāt abyssi ⁊ ego iam cōcepta erā. Sapiētis verba sunt ista originaliter Prouer. viij. ⁊ in epl'a hodierne festiuitatis. Ob singularē ⁊ precipuā reuerentiā: quā totus mūdus ad virginē gloriosissimā gerit festū cōceptionis eius annuatim ꝑ terrarū orbē solēniter celebratur. Si eñ tot innumera amplissimaq; bn̄ficia meritis ⁊ intercessiōe illiꝰ